

c. 11. Apologia de unitate vel distincta vel divisa

Denique quia *diversis*⁵⁸⁾ *diversa placent* et e contrario displicent, dum unusquisque habundat in sensu suo, sicut a quibusdam in hoc opere prolixitatis nimie redarguor, sic etiam a nonnullis (*folgt* etiam D_2D_3) econtra velut de brevitate nimia reprehendor. Nam — verbi gratia — si quis eorum (*folgt* qui naturales D_2D_3) rerum proprietates per diversorum actorum libros curiose scrutati sunt, alicuius rei naturam in hoc opere nostro sub titulo suo requirat, ibique fortassis aliquid minus de hiis, que alibi legit, inveniat. Mox animus eius fastidio quodam stomachans reverberatur ac resilit, ipsumque totum opus velut insufficiens ac inutile despicit et aspernatur. *Verum*⁵⁹⁾ *operi longo fas est*, ignoscere *sompno*. Noverit quoque, qui huius est in tanta rerum indagandarum multitudine necessitati abbreviandi operis indulgere. Quis enim omnia, que de singulis rebus in tam infinita voluminum numerositate per orbem usque quaque dispersa reperiuntur, in brevi possit colligere, cunctaque perstringendo simul (simul perstringendo D_2 ; in simul perstr. D_3) in unum volumen manuale redigere. Sciant preterea, quod ego licet, ut dixi, in prima huius operis parte, que est de natura rerum (de rerum natura D_2D_3), et in secunda, que de universitate scientiarum sub certis titulis cuncta redegerim, non tamen omnia, que de una qualibet re prius excerpseram sub uno et eodem capitulo vel etiam eodem in (*fehlt* D_2D_3) libro pariter collocaverim. Quin potius in diversis libris prout eorum materia (materia eorum D_2D_3) exigit, de eadem re diversa quidem frequenter inseruerim. Nam — verbi gratia — de naturis rerum, id est de quatuor elementis, de passionibus vel impressionibus aeris, de terre glebis et lapidibus ac vineis et plantis, de celi quoque luminaribus et volucris et piscibus et terrenis animantibus non solum circa principium operis iuxta seriem sex dierum, quibus facta sunt, diversorum actorum sententie conferuntur, verum etiam in secunda parte libro de philosophia naturali. Quoniam eius materie competit, plurima adiciuntur; preterea de corporibus mineralibus non solum in hiis duobus locis, ut dictum est, agitur, sed etiam postmodum in libro de mechanicis artibus tractari (tractatu D_2D_3) de alchimia, de unoquoque prout eidem arti convenit, tangitur. Iterum in libro de economica, que secunda practice species est, nisi de rerum familiarium sive domesticarum administratione disseritur. Multa de domesticarum (administratione ... domesticarum *fehlt* D_1) avium et animalium, sicut gallinarum, columbarum, fasianorum, anserum et pavonum; equorum quoque et boum et mulorum et asinorum, hircorumque et agnorum necnon apum educatione vel nutrimento inseruntur. De homine quoque toto, id est de anima humana et viribus eius ac de corpore humano et anatomia membrorum eius, licet in opere sexte diei plenissime disseratur. Postea tamen in tractatu medicine prout eius theorie competit speculatio membrorum et virtutum atque spirituum causarum quoque sanitatis et egritudinum plurima de eodem adiciuntur. Sed et de vitiis atque virtutibus in libro de ethica, id est morali scientia, que a prophetis inventa fuisse probatur, dicta philosophorum et poetarum sub certis titulis colliguntur. Nichilominus tamen de utrisque etiam in eadem parte tracta (tractatu D_2D_3) de scientia theologica flores sacrorum doctorum inserui, post tractatum quoque de politica libellos duos, de criminibus in Deum vel in proximum commissis, que ad iudicium seculare vel ad ecclesiasticum pertinent ex legibus et canonibus et dictis sapientium breviter compegi. Preterea hoc etiam in fine prime partis videlicet post lapsum hominis de cunctis vitiis, que ex illius originalis virulenta radice pululaverint, et universaliter et particulariter inserui.

⁵⁸⁾ Walther, Proverbia 6045.⁵⁹⁾ Horaz, De arte poetica (Ad Pisones) 360.